



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

Cap. V. S. Anacletvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

Domini habitantibus, in qua eos communem vitam ducere, sicut ab Apostolis didicerunt, studiosè hortatur. Quam omnibus necessariam esse dicit, & maximè his, qui irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque discipulorum imitari volunt. Monet etiam in eadem propter quosdam, qui sacram scripturam non iuxta traditionem Petri, sed secundum suum sensum sanis doctrinis aduersantes exponebant, ab eo oportere scripturarum intelligentiam accipi, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruat, vt & ipse possit ea, quæ rectè suscipit, competenter asserere. Cum enim ex diuinis scripturis integram quis & firmam regulam veritatis susceperit, absurdum non erit, si aliquid etiam ex eruditione communi, ac liberalibus studiis, quæ fortè in pueritia attigit assertionem veri dogmatis conferat: ita tamen, vt vbi vera didicit, falsa & simulata declinet. Hic ordinauit Episcopos 15. presbyteros 10. diaconos 5.

CAP. V.

S. ANACLETVS.

A. CIII.

ANACLETVS natione Græcus, de Athenis, ex patre Antiocho. sedit annos 9. menses 2. dies 10. Fuit autem temporibus Domitiani, à consulatu Domitiani decimo, & Sabini, vsque ad Domitiani quartumdecimum, & Clementem consulem. Hic memoriam B. Petri construxit, dum ab eo in presbyterum consecratus fuisset. Hic ordinauit Episcopos 6. presbyteros 5. diaconos 3. Hic autem 3. Idus Iulii solutus est de ergastulo corporis.

^a epist. 1.

Hic ^a in epistola, quam generaliter scripsit omnibus Episcopis, & cæteris cunctis fidelibus, qui coæqualem cum eo sortiti sunt fidem, paternè consolando eos, quibus scripsit, & maximè Episcopos, in tribulationibus ad patientiam diligenter hortatur. De quorum Episcoporum detractioe & accusatione ita in eadem inter-

^b epist. 1. ad
Iacob.
3. 9. 4. c. bea-
311.

ferit. ^b *Beatus predecessor noster Clemens vir Apostolicus, & spiritu sancto Dei plenus vna cum reliquis sanctis collegis suis statuit, dicens. Accusandi vel testificandi licentia denegetur his, qui Christiana religionis & nominis dignitatem, & sua legis, vel propositi sui normam, aut regulariter prohibita neglexerint. Transgressores enim spontè legis suæ, eiusq; violatores apostatae nominantur. Omnis autem apostata refutandus est, ante reuersionem suam, non in accusatione rectè agentium, aut testimonio suscipiendus, quia vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. Et paulò inferiùs subinfert, ita dicens. Ideò variis detractioibus & accusationibus non oportet labefa-*

labefactari iudices & primates Ecclesie, sed magis Apostolorum & Doctorum regulis informari & roborari. Vnde iustum est omnes in vniuerso Romanorum orbe Doctores legis ea qua legis sunt recte sapere & operari, & non regulas nascentis Ecclesie confundere, aut fidem, aut doctrinam Apostolorum variis maculare doctrinis. Item in eadem inferius. Nullus ergo prauidicium alteri faciat, neq, quod sibi fieri non vult exerceat. nemo dictum de aliquo inueniat, quod in eius actibus non agnoscat. Item in eadem. Ego nolo errore meo alienas culpas asserere, ut quod factum doleo, admisisse conuincar. Tob. 4.

Item in eadem propter calumniam malorum Episcopis praecipit, dicens. Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat, & plures quam alius sacerdos: sicut enim maioris honoris fungitur gradu, sic maioris testimonii incremento indiget. In solemnioribus quippe diebus, aut septem aut quinq, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, & subdiaconos, & reliquos ministros secum habeat, qui sacris vestimentis induti, in fronte & a tergo, & presbiteri e regione dextra lauaq, contrito corde, & humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eam a maleuolis hominibus, & consensum praebeant sacrificio. Peracta autem consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia. De cons. dist. 1. c. Episcopus.

Item in eadem dicit. Qui malitiam inter homines spargit, & qui fratri suo detrahit, homicida est, & qui aliquid patri vel matri abstulerit, dicens, hoc peccatum non esse, homicidae particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creauit, mater vero nostra Ecclesia, qua nos in baptismo spirituali regenerauit. Ergo qui Christi & Ecclesia pecunias rapit, aufert, vel fraudat, homicida est, atq, homicida ante conspectum iusti iudicis esse deputabitur. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur. qui a. pecuniam, vel res Ecclesie abstulerit, rapit. sacrilegium facit. Priuilegia. n. Ecclesiarum & sacerdotum sancti Apostoli inssu Saluatoris intemerata & inuiolata perpetuis decreuerunt manere temporibus. & nos leges Ecclesie Apostolica firmamus auctoritate, & peregrina iudicia submouemus. Vnaqueq, enim prouincia tam iuxta Ecclesiasticam, quam iuxta seculi leges suos debet habere iustos, & non iniquos iudices, & non externos, ut Apostolica huius sedis decreuerit auctoritas. Si vero negotium fuerit Ecclesiasticum, apud Episcopos deferatur, interueniente Primate, si maior causa fuerit. Si vero minor, metropolitano. Si autem fuerit seculare, apud eiusdem ordinis viros, iudicio tamen Episcoporum: cum Apostolus priuatorum Christianorum causas magis ad Ecclesias deferri, & ibidem sacerdotum iudicio voluerit terminari. Omnis ergo oppressus liberè, si voluerit, sacerdotum appellet iudicium, & a nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur, & liberetur. Si autem difficiles cause, aut maiora negotia fuerint orta, ad maiorem sedem deferantur: & si illic facile discerni, aut iuste terminari non potuerint, ubi fuerit summorum congregatio 12. q. 1. c. qui abstulerit. c. qui Christi.
17. q. 4. c. qui rapit.
25. q. 2. c. priuilegia.
3. q. 6. c. vnaquaque.
1. Cor. 6.
2. q. 6. c. omnis oppressus.

gatio congregata, quod per singulos annos bis aut ter fieri solet, & debet iuste, & Deo placite coram Patriarcha, aut primite Ecclesiastico, & coram patritio seculari. Quod si difficiliore negotia in commune. Quod si difficiliore questiones ort. a*

* *Episcoporu. fuerint, aut temporu, aut maiorum iudicia, aut maiores cause fuerint, ad Sedem Apostolicam si appellatu fuerit, referantur, quoniam hoc Apostoli statuerunt iussione Saluatoris, ut maiores & difficiliore questiones semper referantur ad Apostolicam sedem.*

II. *Epist.*

Anacl. summa.

Dist. 64. c. ordinationes.

Dist. 67. c. reliqui.

2. 7. 7. c. accusa. 10.

IDEM ipse B. Anacletus aliam epistolam scripsit Episcopis in Italia constitutis, in qua eos consultantes de ordinationibus & accusationibus Episcoporum sic instruit dicens. *Ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolica ab omnibus qui in eadem fuerint provincia Episcopis celebrande sunt. qui simul conuenientes scrutinium diligenter agant, ieiuniumq, cum omnibus celebrent precibus, & manus cum sanctis Euangelis, que predicaturi sunt, imponentes, Dominica die hora 3. orantes, sacra eos unctio inungant. Quod si omnes simul minimè conuenire potuerint, assensum tamen suis precibus prabeant, ut ab ipsa ordinatione animo non desint, quia Iacobus iustus, & frater Dn. nostri nuncupatus, à Petro, Iacobo & Ioanne Apostolis est ordinatus, data videlicet ex hoc successoribus suis forma, ut nullus Episcopus minùs quàm à tribus Episcopis ceteris consentientibus ordinetur. Reliqui verò sacerdotes à proprio ordinentur Episcopo, ita ut ciues, & alii sacerdotes assensum prabeant, & ieiunantes ordinationem celebrent. Similiter & diaconi ordinentur. Ceterorum autem graduum distributioni trium veracium testium testimonium cum Episcopi, scilicet probatione, sufficere potest. Accusatio quoq, eorum, super qua nos consulere voluistis, non nisi ab idoneis & probatissimis viris, qui & suspicionibus & sceleribus careant, fieri debet. & ab illis hoc modo, sicut prædictus Papa inferiùs docet, dicens. Si quis aduersus eos † recurrat caritatis studio, ut familiari colloquio cõmoniti, ea sanent, que sananda sunt, & caritatiuè emendent ea, que iuste emendanda cognouerint. Si autem aliqui prius, quàm hac egerint, eos lacerare, accusare, aut infestare præsumpserint, excommunicentur, & minimè absoluantur, priusquam satisfaciant, & condignam egerint pœnitentiam.*

III. *Epist.*

summa.

Dist. 80. c. Episcopi.

Episcopi.

IDEM item sanctus & beatissimus Papa Anacletus omnibus Episcopis, & reliquis Christi sacerdotibus scribit epistolam, in qua sacerdotum ordinem auctoritate Apostolorum bipertitum esse cõprobat, Episcoporum videlicet, & presbyterorum, & hunc ordinem ita à Domino constitutum à nullo perturbari oportet. Episcopi autem non in castellis, aut modicis ciuitatibus debent constitui, sed presbyteri tantum ab Episcopo ad qualemcunque locum vel Ecclesiam, quæ in eo constituta sit, sunt præficiendi, & in ea diebus vitæ suæ duraturi. Et non amplius, quàm istos duos ordines sacerdotum esse dicit, quia licet alii Primates vel Patriarchæ, alii Me-

tropo-

ropolitani dicantur, ordo tamen vnus est, sed ipsa discretio nominum discretionem indicat maiorum in prælatione iudicii, non in potestate Pontificii. Romanam verò Ecclesiam primam sedem vocat, quia B. Petrus & Paulus suo martyrio eam cæteris omnibus prætulerunt. Secundam verò sedem esse apud Alexandriam dicit, quia B. Petri nomine, & à Marco eius discipulo atq; Euangelista consecrata est. Tertiam verò sedem apud Antiochiam, quia B. Petrus, antequam Romam veniret, illic habitauit, & Ignatium ibi constituit Episcopum, & illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exortum est. Accusatores autem & testes dicit esse non posse, qui ante hesternum diem, aut nudius tertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, vel læsi vlcisci se velint. Dicit etiã pro meritis plebis sæpe pastores Ecclesiæ deprauari, vt procliuius corruant qui sequuntur capite videlicet languescente facilius reliqua corporis membra inficiuntur. Dicit etiam; si Doctor vel Pastor Ecclesiæ à fide exorbitauerit, erit à fidelibus corrigendus, sed pro reprobis moribus magis est tolerandus, quam distringendus, quia Rectores Ecclesiæ à Deo sunt iudicandi.

Tres prima-
rie sedes.

3. q. 3. c. accus.

A. cxii.

CAP. VI.

S. EVARISTVS.

EVARISTVS, natione Græcus, ex patre Iudæo, Iuda nomine, de ciuitate Bethlehem, sedit annos 9. menses 10. dies 2. Fuit autem temporibus Domitiani & Neruæ, à consulatu Valentis, & Veteris, vsq; ad Gallum, & Bradum consules, sub quib. martyrium passus est, 6. Kal. Nouë. Hic ordinauit Episcop. 5. presbyt. 6. diac. 2. Hic in suis decretis præcepit 7. diac. in vnaqua; vrbe cõstituendos, ad custodiendũ Episcopũ, ne ipse in prædicatione ab insidiatorib. infestetur, aut verbũ veritatis quolibet genere detractionis pollui possit.

* Braduam.

^a Hic etiam scriptum misit vniuersis Episcopis Africæ regionis, quod coniugium legitimum sit in omni Ecclesia habendum, ita dicens. *Aliter non fit legitimum coniugium, sicut à Patribus accepimus, & sanctis Apostolis, eorumq; successoribus traditum inuenimus, nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, vxor petatur, & à parentibus aut propinquioribus sponsetur, & legibus dote- tur, & suo tempore sacerdotaliter, vt mos est, cum precibus & oblationibus à sacerdote benedicatur, & à paranympis, vt consuetudo docet, custodita & seruata à proximis tempore congruo petita legib. detur, & solenniter accipiat, & biduo vel triduo orationib. vacent, & castitatem custodiant. aliter verò presumpta, non coniugia, sed aut adulteria, vel concubia aut supra, vel fornicationes potius, quam legitima coniugia esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragauerit, & nota succurrerit legitima.*

^a epist. 1. ad E-
pisc. Afric.

3. q. 5. c. aliter.

* consociata.
* doteur.

* contubernia

* vota succur-
rerint.

^b Hic idem in alia epistola, quam omnibus Episcopis per Ægyptum